Forfatter: Brahe, Tycho

Titel: Magnifico, amplissimo ... [Digt til Niels Kaas]

Citation: Brahe, Tycho: ”Magnifico, amplissimo ... [Digt til Niels Kaas]”, i Brahe, Tycho:*Tychonis Brahe Dani opera omnia*, udg. af I.L.E. Dreyer , 1913-29, s. 180. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: https://tekster.kb.dk/catalog/adl-texts-tycho09tom-shoot-workid54371/facsimile.pdf (tilgået 19. april 2024)

Anvendt udgave: Tychonis Brahe Dani opera omnia

Nec te perque Elegos per Amicaque verba licebat
Preßa etiam Typis præteriiße nouis:
Preßius vt domini, qui me miſitque fauetque,
Conſtaret nouus, at non abolendus Amor
Sit licet ille nouus, tamen inueteraſcet in æuum,
Corde magis preßus, quam mea preßa Nota eſt;
Typus Amicitiæ fictis ſi pingitur Vmbris,
Vero etiam Typis vti in Amore licet.
Hæc vbi dicta fient, velut eſt Vir dignus Honore,
Obſequium præſta; mox Valedic, et abi.

Datum VRANIBURGI ANNO 1584. 7 Kal. Decemb.

Tuus
TYCHO BRAHE.

[Ex exemplo ab ipso Tychone typis descripto (Uraniburgi 1585)]

MAGNIFICO, AMPLISSIMO NOBILISSIMOQVE VIRO, SAPIENTIA, DOCTRINA OMNIMODAQVE VIRTVTE PRÆEMINENTI, D. NICOLAO KAASIO, DOMINO DE TAARVP, REGIÆ MAIESTATIS DANIÆ CANCELLARIO ET CONSILIARIO PRVDENTISSIMO, VTILITATIS ET TRANQVILLITATIS PVBLICÆ SVASORI CONSERVATORIQVE FIDELISSIMO, AMICO SVO INPRIMIS OBSERVANDO.

IAM Venerande tibi fuerat Mens ſcribere KAASE,
Iamque erat in calami charta parata notas,
Vnde ſed incepti mihi Carminis effluat ordo,
Dum dubito, vt meritis par queat eße tuis:
En ſupero veniens mox ſe patefecit Olympo
VRANIA, agnoui, nam mihi viſa prius,
Quæ prope conſiſtens, verbis dignatur amicis,
Noſter Alumne, adeo quid meditaris? ait;
Mox ego ſic poſita refero formidine, namque
Alloquio eſt facilis, ſi cuj nota ſatis.
Dic mihi Diua Polj, celſum quæ nomen Olympo
Accipis, Ingenij cura laborque mej,
Cuius et Auguſto de Nomine conſpicit Ædes,
Parua vbi Huæna jacet, DANIA clara, nouas,
Parua ſit illa licet, tamen hæc tibi dedita Sacra,
Qualia vix magnus continet Orbis, habet;

Dic

Dic age, quæ Cœlum Dea circumuoluis et Aſtra,
Vnde vides toto quæ quis in Orbe gerat,
Eſtne aliquis, Boreum quâ Dania vergit in Arcton,
Inter conſpicuos Nobilitate Viros,
Qui magis aſpiret Studijs, foueatque Camœnas,
Qui Virtute magis Conſilioque valet,
Quam qui NICOLEVS fertur cognomine KAASVS?
Cuj datur a DANO Rege ſecundus Honor,
Huic ego dum meditor preßum tranſmittere Carmen,
Quale feret Typis Huænula parua ſuis,
Tot Benefacta viri, Meritique amplißima moles,
Vnde vel incipiam, quæ potiora canam,
Diſtrahere atque Animum partes diuellere in omnes,
Dum poterint, Elegis impoſuere moras;
Tu facilis noſtrum potius, Dea, dirige Carmen,
Saltem aliqua vt liceat reddere grata Viro. ‖
Sic ego demißa Diuam ſum voce precatus,
Illa ſed hæc roſeo protinus ore refert:
Res accepta adeo, quam nunc meditaris, Alumne,
Eſt mihi, quod nihil hac gratius eße queat:
Cumque Arcana mihi pateant, ego conſcia, quidnam
Mente agites, votis ſponte propinquo tuis:
Promotura etiam veluti petis, et tibi faxim,
Carmina dictabit noſtra Thalia ſoror:
Ipſa ego Materiam facili præbebo Camœnæ,
Sufficiens Elegis Ipſa ego Carmen ero;
Tu modo noſtrorum, reuocans, memor eſto Laborum,
Hoſque jlli, tibi me ſic referente, refer.
En ego quæ incedo Superis gratißima Diuis,
Maxima Pieridum, primaque Nata Iouis:
Sum profuga in Terris, varieque hac pellor et illac,
Vt nequeam firmos figere laßa pedes;
Æthiopes, Indos, Arabes, Chaldaica regna,
Ægyptum, Graios, Auſoniumque ſolum,
Hiſpanos, Gallos et Teutona rura pererro,
Nec tamen inuenio, qua mihi tuta quies;
Vſque adeo Lucrum, Leuitas, Inſcitia, Luxus,
Mars ferus, in mundo, Barbarieſque vigent;
Aſt ego, quæ terris Noctemque Diemque miniſtro,
Cumque ſuis Annos Menſibus jre ſino,
Quæ Lucem tribuo rebus viuumque Calorem,
Et generans foueo totius Orbis Opes,

Nam

Nam ſine me Tellus, ſine me nil procreat Æquor,
Antiquum repetant me ſine cuncta chaos,
Nullum Animal viuens Orbi ſupereßet, et Ipſe,
Ipſe Homo fruſtra oculos Sidera ad alta gerat:
Attamen in Terris ſpernor, mea Sacra profanant,
Conculcantque homines, exulat omnis honos,
Idque diu tuleram, donec pertæſa Parenti
Conqueſta his breuibus ſum pudibunda Ioui:
Iuppiter alme Parens, noſtro ſuccurre dolori,
Exilium in terris, Te Patre nata, fero.
Has licet includam, tamen hinc excludor vbique,
Ne tua ſic ſpernar Filia, perfer Opem.
His dictis tacui et lacrimantia lumina terſi,
Ille leuat verbis, Spemque fouere jubet:
Eſto animo, mea Nata, bono, licet vndique pulſa es,
Quâ terra Auſtralj torrida Sole calet:
Non tamen experta es, Boreæ quid frigora condant,
Forte tibi Arctoo reſtat in orbe Decus; ‖
Hic tibi proſpexi Iuuenem, cui Sidera curæ,
Per quem, crede, tuus reſtituetur Honos;
Tantus Amorque tui eſt, Patriam vt charoſque Penates,
Ne tua non curet, deſeruiße velit;
Ipſe ſed Arctoo ſuggeßi in pectora Regj,
Ne juuenem è Patria, cum volet, ire ſinat:
Namque jbi decreui (velut et mea Sacra ſub Arcton
Intemerata manent) te quoque Nata coli.
Anne vides, oculis totum quæ conſpicis Orbem,
DANIA quâ Boreum ſpectat aquoſa Polum,
Principium Solidi quod habet, Punctum velut arctum
Anguſto referat Huænula ſtricta Freto:
Hæc licet exigua eſt, tamen hinc tua Gloria creſcet,
Maior et Auſtralis quam tulit Orbis erit.
Sic me tum mœſtam verbis ſolatus amicis
Iuppiter, et dictis pondus ineße facit;
Nam mox Huæna ſtruit, noſtro de Nomine dictam,
Multa meis Sacris quæ capit apta, Domum;
Organa conflantur, mihi qualis nulla Vetuſtas,
Arte et Sumptu adeo ſunt operoſa, dedit;
Talia non olim florens Ægypte parabas,
Aſtra tibi quamuis ſemper amœna micent,
Siue ea Thymochares, tibi ſeu conſtruxit Hyparchus,
Auxerat hoc ingens ſeu PTOLEMÆVS Opus;

Syria

Syria non ſimiles, licet ALBATEGNIVS illic
Hoc Aracenſis agat, ſtrauit in Aſtra vias;
Tam Syracuſa altas neque ſtruxit ad Æthera Scalas,
Archimedis enim negligit iſta labor;
Roma quidem Mundi fuerat Caput, haud tamen auſa eſt
Tanta, vel auxilijs, ô Menelae, tuis;
Rex licet ALPHONSVS Mauros, Arabes, et Iberos
Iunxit, vt jmmenſis ſumptibus Aſtra notent,
Non tamen obtinuit, numeris vt Sidera quadrent,
Scilicet his medijs non ſatis auctus erat;
Is quoque qui noſtræ nuper COPERNICVS Arti
Creditur extremas impoſuiße manus,
Vir ſane jmmenſus, tua laus, Germania, Cœlo
Proxima, vix tantum ſuſtinuißet Onus.
Non tamen aſpernor veterum Monumenta Laborum,
His ſine namque meas non reparatur Honos;
Id ſaltem doleo, non ſat ſubtiliter olim,
Sed nimium latis Aſtra notata modis;
Ergo vbi conſpexi mea ſurgere Caſtra ſub Arcton,
Et Boream Auſtralj cedere nolle ſolo, ‖
Sed niti ſuperare magis lætabar, et Ipſi
Sit modo, dicebam, gratia magna Ioui:
Qui Natæ ſortem miſeratus, liberat iſto
Deſpectu, quo me tempora longa premunt;
Iamque ego, ſum veluti Muſas præſtantior jnter,
Vel majus, vel par, Nomen in Orbe geram,
Sic mihi non dubios alacris gratabar Honores,
Lætabarque, quies quod reparata foret.
Ecce ſed Ambitio, Lucrique inſana cupido
Inuidiam alliciunt, te patre, Pluto, ſatam:
Aduolat hæc, medijs properans ê faucibus Orci,
Quam furor atque odium concomitatur atrox,
Vtque ea, Virtutem ſequitur velut vmbra, cauillis
Hanc inſectatur, vaniloquiſque probris:
Et ſolet alterius felici ſorte dolere,
Liuidaque hinc facies, pallor in ore ſedet:
Pectora felle virent, tegit altum lingua venenum.
Nulla quies Animo, tam ſtudioſa Mali eſt:
Detrahit jmmeritis, carpendo carpitur vnâ,
Dumque nocere nequit, ſit ſibi Supplicium;
Tormentum haud majus Siculi inuenere Tyranni:
Hæc eſt igniuomo gutture Taurus hians;

Hanc

Hanc ambo inſtigant, licet ad mala quæque ſuapte
Sponte ſatis facilem, meque fugare jubent;
Forſitan hæc, ſiquidem nimium Terreſtria curant,
Me præſente, ſatis creſcere poße timent;
Ergo iſta jnſidijs, nec aperto Marte minatur,
Prætextu potius ſueta nocere boni;
Quæ potuit, fecit mala plurima, plura volebat,
Difficilem reddens Sidera ad alta viam;
Perſuaſitque alijs, noſter quod inutilis eßet,
Poßibiliſque minus (tam ſit iniqua) labor;
Obtinuit fateor, noſtra vt Patientia læſa eſt,
Peneque pænituit, quod meditabar Opus,
Ceßißemque alio, ſiquidem latißima Tellus,
Qua mea ſpectentur Sidera, vbique manet;
Vndique Terra infrâ eſt, Cœlum patet vndique ſuprâ.
Omne ſolum Patria eſt, cui mea Sacra placent:
Nilque noui fieret rurſus peregrina petenti,
Sæpe mouere locum, res bene ſueta mihi eſt;
Venit at in Mentem, ſecum clam velle Triumphos
Mox agere Inuidiam, ſic quod abacta forem;
Scilicet obſcuris Erebi quæ prodijt vmbris,
Me Ioue prognatam, pellat agatque Deam?
Dum moror, et mecum dum conſulo quid ſit agendum,
Ecce jterum validam Iuppiter addit Opem;
Huncque Virum, cui nunc meditaris ſcribere, certis
Excitat Is medijs, vt mea damna leuet;
Propoſitis namque Ille bonis prodeße paratus,
Non ſua, ſed Patriæ commoda ſemper agit;
Vnde illi multum debebit Patria, quando
Multa alij Patriæ: Quis mage diues erit?
Hoc florente Viro, nullis obnoxia damnis,
DANIA floreſces, hoc abeunte, caue;
Optima Conſilijs juuat, et mala quæque repellit,
Huncque loco chari Patria Patris habet;
Cumque ſit huic ingens et multa Scientia Rerum,
Noſtra etiam digno Sacra in honore fouet;
Et licet his, teneris non eſt imbutus ab annis
(Nam quis par Studijs omnibus vnus erit?)
Attamen, Hiſtorias geſtarum ab origine Mundi
Dum recolit rerum, fit memor jnde mei:
Hincque videt, quanta me Sedulitate Vetuſtas
Excoluit, quanto tunc in Honore fui;

Vſque adeo, vt ſolis fuerit fas Regibus, Aſtra
Excelſa Ingenio ſuppoſuiße ſuo;
Proxima tangentes Cœlo faſtigia Rerum,
Regales animos ſcilicet Aſtra decent;
Teſtes Alcides, Perſeus et pulcher Orion,
Arctophylax, Cepheus, Chyron, et Heniocus:
Qui proprio Stellis de nomine nomina ſignant,
Vnde erit jllorum Fama coæua Polo;
At quia non parua Reges Reſpublica mole
Aggrauat, et crebro belliger hoſtis adeſt:
Mox in more fuit, ſi quos Natura monebat,
Aſtrorum celſas exuperare vias,
Illos ſponte ſua, Patria vt Regeſque juuarent,
Sumptibus vt magnis Sidera celſa notent;
Id niſi fecißet veterum Solertia Regum,
Menſibus atque Annis quæ modo Meta foret?
Geſtarum fieret nunc quanta obliuio rerum?
Quantaque Barbaries? Quale et in Orbe chaos?
Non Hominum â brutis Animantibus iſta fuißet
Diſpar conditio, forte caduca magis:
Pronius his Terram ſpectarent, quos Deus alte
Iußerat excelſum tollere ad Aſtra caput.
Hæc et plura alias, quæ Mundo incommoda cedant,
Si perſpecta Homini Sidera nulla forent,
Hic Vir proſpiciens, velut Experientia Rerum
Indidit, hoc Patria nolit abeße Decus:
Sed velut hanc multum præclaris Artibus ornat,
Patronus Studijs dum cupit eße bonis:
Sic quoque, ſic noſtram, reliquis quæ celſior, Artem,
Exilium è Patria non tulit Ille pati;
Vnus enim nobis ſuadendo reſtituit Rem,
Hanc qui jacturam cerneret, vnus erat;
Reppulit Inuidiam, quæ nunc pudefacta ſub antris,
Rodat vbi tacito corda dolore, latet;
Effecitque adeo mea DANIA Caſtra ſub Arcton
Vt locet, et Studijs clareat aucta meis:
Quod nunc HVÆNA mihi deuotas ſtruxerit Ædes,
Vraniæque Artes jngenioſa colat,
Et mihi quod Borcas nunc Organa tanta pararit,
Quanta nec Auſtrali cernere in Orbe licet,
Me debere illi fateor: quia plurima cauſa eſt,
Quod meus in Patria detineatur Honos;

Si quid venturis mea Sidera certius Annis
Oſtendent, veluti Spes mihi magna ſubeſt;
Semita ſi penitus pateat Mortalibus olim,
Qua vehitur Phœbus, quamque Diana rotat:
Perſpectum fuerit reliquis, ſi quando, Planetis,
Dum variant curſus, qualis amußis ineſt:
Fixaque ſi toto conſtabunt Sidera cœlo,
Error vt illorum, non ſit, vt ante, locis,
Huic Vni acceptum referant, Huic omnia debent,
Quos agit Aſtra Poli ſcandere celſus Amor;
DANIA quod, noſtris renouatis Artibus, ingens
Nomen ab æterna Poſteritate feret,
Huic tribuat: nec enim foret iſtis laudibus aucta,
Solus Is hoc tantum ni tueretur Opus;
Ergo erit illius notißima Fama per Orbem,
Vndique quâ Populis Sidera clara micant;
Nec ſaltem Patriam quod honeſtis ornat et auget
Conſilijs, quo ſit Publica tuta quies,
Sed quoque quod noſtros non dedignatur Honores,
Haud minor hinc ipſum Gloria forte manet;
Nam (mihi ſi qua fides, quæ Cœlica Fata guberno)
Non ſua Laus vllo eſt interitura die;
Tranſiget in Terris ſeros feliciter Annos,
Et Regi et Populo ſemper amatus erit:
Dum viuet, ſua durabit gratißima cunctis,
Et bona poſt cineres Fama ſuperſtes aget, ‖
Iamque Senex, tandem celſo maturus Olympo
Accedens, Superis Accola gratus erit.
Hæc ſunt quæ volui tibi perſcribenda referre,
Hæc reuocans, preßis mitte legenda notis:
Preßius illa VIRI maneant vt condita Mente,
Et nunquam meus hinc dimoueatur Amor;
Nomine ferque meo Grates, quod noſtra tuetur,
Et fouet, e Patria non abigenda, Sacra;
Perſtet vt incepit, noſtros conſeruet Honores,
Vt mihi perpetuo DANIA Thura ferat;
Donec ſublimi radiabunt Sidera cœlo,
Hinc pariter radians Nomen in Orbe geret;
Cumque alijs referam, mea qui Monumenta probarint,
Inter præcipuos Is numerandus erit:
Æternaſque illi non ceßans dicere Grates,
Ex Animo, et toto Corde fauente, colam.

Hæc